

(1) GS/20  
C2)  
DE FAMILIA CHRISTIANA

A.- Pars doctrinalis

1.- ( Dignitas familiae ) Origine, natura sua et fine, sicut matrimonio ex quo legitime oritur debet, familia est sacra et pro christianis sancta, qua sanctitate familia christiana prae aliis splendescit. // compare

2.- ( Familia ut vera societas ) Familia vera societas est alias societates naturales per se antecedens, licet ab his, ut proprios fines reapse consequi valeat, iuari et promoveri possit ac debeat. Immo familia est, et usque ad finem saeculorum erit, societas cuique homini, in quocumque ordine sociali, necessaria et inviolabilis, aliarum societatum principium et praesuppositum, propria unitate spirituali et morali, iuridica atque oeconomica praedita. Proprietates igitur et bona quibus matrimonium ornatur, praesertim unitas, indissolubilitas et casta fidelitas utriusque coniugis, etiam in tutamen et bonum totius familiae et societatis a Deo data sunt.

3.- ( Auctoritas in societate domestica ) Familia, utpote ordinatus convictus, non potest esse sine propria auctoritate, quae ita est intelligenda, ut bonum aliorum membrorum procuret, secundum illud Mt. 23, 11: "Qui maior est vestrum, erit minister vester". Etsi Vir et mulier tamquam personae humanae eiusdem dignitatis sunt coram Deo et plena iurium aequalitate gaudent, in iis, quae constituunt contractus matrimonialis essentiam: tamen Vir naturaliter praest totae familiae, uxori nempe, ut sociae peculiariter honorandae et diligendae, liberis autem qui enutriendi et

ver de ecclesia  
la autoridad  
al servicio  
de los hijos de Dios  
refundir con  
ese enfoque  
afirmativo  
absoluto

honor  
ut responsabilis

et societas

educandi sunt. Qui naturalis primatus in uxorem confirma-  
 tus et elevatus est per sacramentum matrimonii, docente Apo-  
 stolo: "Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino; quo-  
 niam <sup>amoris</sup> vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Eccle-  
 siae... Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres  
 viris suis, in omnibus" (Eph. 5, 22-24). Quamvis igitur mulier  
 subiecta sit viro, tamen ut mater propriam etiam habet in  
 filios auctoritatem, patris auctoritati subordinatam. Immo  
 vices ~~vir~~ viri in gerenda familia uxor habet si forte ille  
 officio suo satisfacere non possit. Sequitur ut filii in <sup>sub</sup>  
 parentum potestate sint (cf. 1 Tim. 3, 4), quousque et ipsi  
 sui iuris fiant. Semper autem filii debent honorare pa-  
 rentes, etiam opere atque etiam tempore senectutis. Ut au-  
 tem utriusque genitoris in prolem auctoritas ea modera-  
 tione exerceatur, sine qua educationis uberius fructus  
 sperari nequit, parentibus et peculiariter patri dictum  
 est: "Nolite ad indignationem provocare filios vestros,  
 ut non pusillo animo fiant" (Col. 3, 21). Parentes igitur  
 sint fortes et suaves: si vero mites fuerint, Deus eos do-  
 cebit vias suas (Ps. 24, 9), ut et ipsi filios conducere  
 valeant in via Domini. Sicut autem auctoritas patris amo-  
 re informari oportet, sic oboedientia uxoris filiorumque  
 sit amoris obsequium. Viteatur igitur error, quo primatus  
 patris dispotice concipiatur et exerceatur immo mulier  
 veluti ancilla quibuslibet mariti placitis subiecta.  
 Et ~~ex~~ altera parte reprobatur quaecumque uxoris vel fi-  
 liorum indebita emancipatio.

4.- ( Responsabilitas parentum quoad numerum filiorum )

Docet S. Synodus universim e lege divina, naturali et positiva, ad numerum filiorum in unaquaque familia habendum quod attinet, non esse universalem normam, sed in singulis casibus ponderandum esse, quid conditiones individuales, bonum totius familiae et societatis innuant, iuxta dictamina prudentiae christianae, cum aliis etiam virtutibus connexae. In suis igitur particularibus consiliis capiendis fideles ne moveantur solis considerationibus temporalibus et materialibus, sed in primis supernaturalibus, ac luce rationis et fidei ducantur. Et, ut christianos decet, in ipsa numerositate prolis mensuranda, memores sint Providentiae divinae, qua omnia sapienter ordinantur. In re tam gravi caveant etiam fideles ab irrationali et caeco instinctu et a variis hedonismi formis. Suprema autem regula est p[ro] coniugibus Apostoli universale monitum: "Omnia vestra in caritate fiant" (1 Cor. 16, 14). Atque ideo valores rationesque mere medicales, eugeneticae, oeconomicae, sociales et aliae ordinis temporalis et materialis minime opponi, praep[ro]ni vel aequari possunt valoribus et rationibus altioris ordinis, scil. religiosi et moralis.

*in primis intellectus et voluntas conjugum*

5.- ( Familia et societas civilis ) Familia est certe ordinata etiam ad societatem civilem, debita tamen praeva-  
 valentia iurium ipsius familiae servata. Auctoritas igitur civilis, siue nationalis siue internationalis, propriis organis et mediis, ius et munus habet servandi, defendendi et promovendi bona familiae, ipsam etiam positive iuvando, praesertim in filiorum sustentatione et educatione, iuxta exigentias boni communis. Dum igitur S. Synodus laudat auctoritates civiles, quae familias praesertim numero enfilio-

*no om  
ordens quatuor*

*oblig  
ajenas*

rum efficaciter adiuvant, simul severe reprobare constringitur commendationem et propagationem inhonestorum medicorum anticonceptionalium ad delimitandam prolem; quibus non tantum non defenditur bonum populorum, ut aliquando hodie falso putatur, sed potius ordo socialis moraliter corrumpitur. Quod ad educationem filiorum et ad <sup>h</sup>scōlas attinet eadem auctoritas civilis familiam, quin laedere in suis anterioribus iuribus, ipsam iuvare debet mediis sibi congruis etiam materialibus, ut filii recte et sine periculis morum vel religionis educantur.

6.- ( Familia et Ecclesia ) Parentum officium grave et divinitus sancitum est, praesertim verbo et exemplo prolem propriam educare non solum quoad naturalia et terrena, sed praesertim quoad supernaturalia et aeterna. Unde in primis ipsi parentes, etiam ex debito officio erga ipsam prolem, curare debent, ut non tantum neonati quam primum fieri poterit in vita supernaturali renascantur, sed etiam ut iam a prima aetate religiose educantur, praesertim quoad elementa religionis christianae rectamque observantiam legis evangelicae. Ipsum enim matrimonium et familia eo quoque spectat, ut crescat corpus Ecclesiae numerusque electorum augeatur. Familia igitur iure divino Ecclesiae concredita est, non solum quia matrimonium, e quo legitime oritur, ad Ecclesiam pertinet; sed etiam quia Ecclesia divinitus ius habet gravissimum illudque independens et inviolabile a quacumque potestate humana, educationem christianam imperandi, per suos magistros et scholas, non solum filiis familias sed etiam ipsis parentibus, praesertim ad ipsorum instructionem, ut christiane implendis proprii status obligationibus pares sint. Hoc ius proprium Ecclesiae est tum

very al lita

judicia

Opil?

propter suum universale magisterium, tum etiam propter suam maternitatem spiritualem in filios et parentes. Nam soli Ecclesiae, per administrationem Sacramentorum ad sanctuarium conscientiae sive parentum sive filiorum nomine Christi aditus patet. Ipsa igitur intimitas coniugalis vel familiaris proprios habet limites, etiam quoad ipsa familiae membra. Ex quo fit ut familia christiana talis ac tantae matris Ecclesiae evadat honorificum organon vivum atque sanctum, in aedificationem Corporis Christi.

4. - ( Actio Ecclesiae erga familiam ) His de causis Ecclesia, sive per suos Pastores sive per suos fideles, non solum per principiorum illustrationem, sed etiam per actionem familiam amantissime assequitur ut in omnibus bonis crescat vivat et florescat. In sua autem actione educativa semper Ecclesia prae oculis habet exemplum divini Magistri, qui dum ex una parte concedit Ecclesiae novum et magnum mandatum caritatis, ex altera parte tamen ursit Decalogi praecepta etiam ~~negativa~~ (cf. Mt. 19, 18), immo instanter sui abnegationem et crucem proposuit (cf. Mt. 16, 24). Et si Apostostolus, Spiritu divino ductus, omnes fideles monet ut cum timore et tremore operentur suam salutem (cf. Phil. 2, 12), ea verba sibi duplicem ob titulum iis sibi dicta esse scient, qui educationi christianae familiae aequae onerosae ac gloriosae ex divina voluntate se tradunt. Sed Ecclesia etiam suggestiones practicas, secundum modernorum temporum exigentias, ad bonum ~~spiritus~~ ipsius convictus domestici et socialis proponit.

( Sequitur pars practica... )

lugar

hanc  
defender  
vnde thesis